

ARTICULUS XCV.

Cum plures accusatores, rei q³ concurrunt, sermo plurium numero efferendus est.

Consulendi Zieritz. & Steph. hic.

ARTICULUS XCVI.

Fraetio baculi.

I. Judex jubetur baculum, quem ex more gestat manu, post publicam sententiam frangere (quo ipso Judex fidem facit, de reo jam actum esse, uti de baculo, & reum vitam amisisse. Alicubi hoc amplius receptum est ab antiquo, ut, capitali sententiâ recitatâ, Assessores pariter, & Judex fellas suas omnes evertant terribili quâdam specie, *Cunrad. Rittershus. lib. 1. part. feud. 8. q. 10. pag. 143. in fin.*) executionem carnificis cruentis & sanguinolentis manibus demandare, ut ille tuto fatis, & securè (considerandum exemplum, quod vidit *Goblerus* puer *Eschuegi* hic in *auetario*) omni studio pœnæ destinatum commerito afficiat supplicio, *Bisciol. 5. horar. subc. 5.* & quidem in continenti. Vide tamen *Zieritz. hic, verb. juxta sententiam latam*, etiam si condemnatus polliceatur, se aliquid ad salutem Principis pertinens revelaturum, *l. 6. in pr. ff. de pœn.* Quod de consuetudine quoq; servari refert *Clar. §. fin. q. 96. num. 1. 2.* quem sequitur *Steph. hic, p. 172.* Conferendi *Petr. Greg. Tholos. in syntag. jur. univ. lib. 32. c. penult. num. 2.* *Petr. Heig. quest. 32. num. 48. 49.* Provinciam quendam *Cifronium*, quo tanquam internuncio, & interprete utebatur *Campobachus* ad *Lotharingum* in iis, quæ cum ipso communicaret, illicò suspendi jubet *Carolus*, *Dux Burgundiæ*, affirmans, quod simul atque circumfessum est à Principe oppidum aliquod & tormentis oppugnatum: si quis tum in illud ingredi, & obsessis opem ferre studeat, hoc ei esse capitale. Hanc dicebat esse malitiæ legem. Verùm ea non est apud nos usitata, quanquam alioqui nostra bella sunt graviora *Italicis* & *Hispanicis*, quibus in regionibus ea lex locum habet. Ille, cum se deploratum esse videt, nunciat *Carolo*, se quædam ei dicturum esse, quæ ad ipsius pertineant salutem. Eum sermonem nobiles aliquot deferunt: & tum forte aderat *Campobachus*, qui de *Cifronii* periculo certior factus, diligenter observabat omnia, metuens ne proderetur. *Carolus* respondit, eum servandi sui causâ colloquiū obducere, simul quid vellet, jubet sibi per alios nunciari. Hunc sermonem excipit *Campobachus*, & collaudat: *Solus n. cum scribâ quodâ* aderat. *Cifronius* ait, se nemini, præterquam ei soli dicturum esse. *Carolus* in sententiâ persistit, inter eundem multos ille obtestatur, ut Principem permoveant: habere se, quod ei dicat, grave quiddam, & tanti momenti, ut nihil supra. Ex iis, qui noverant, multos ad misericordiam flexit, & hi denuò interpellaturi *Carolum* excludebantur à *Campobachio*, qui pro foribus cubiculi versabatur, & aditu prohibe-